AD BENEVOLUM LECTOREM.

DE ipsis Auctoribus, & de nostro in illis edendis consilio & opera paucis monendus es, amice Lector. Helmoldus ea aetate, qua haec nostra Lubeca condita est, id est, circa annũ CH.clɔ CXL. vixit & scripsit. Est enim unus ex illorum doctorum numero, qui ante annos quingentos, Wagrios nostros, avitae superstitionis tenacissimos, ejusdemq; propugnatores acerrimos, non sine summa difficultate, & magnis vitae suae periculis, è Cimmeriis ignorantiae atq; impietatis tenebris adsertos, ad caelestis Evangelii lucem perduxerunt. Vixit autem in ea Holsatiae parte, quae versus mare Balthicum sita, Wagria tunc dicta fuit, cujus amplitudinem & limites ad l.I.c.57. descripsimus. Hic quòd apud Plonensem lacum in villa Bosow domunculam & templum haberet, Presbyter Bosoviensis appellatus est. Quod vel ideo moneo, ut illum minùs rectè hactenus Buzoviensem à nonnullis nominatum fuisse constet; ut in Notis ad l.I. c.14. ostendimus. Tenebant istis temporibus haec ad mare Balthicum loca Slavi, gentes amplissimae, eademq; à Christiana fide alienissimae; quae unde, & quomodo in haec loca, antea Wandalis habitata, quondam penetrarint, & quamdiu illa tenuerint, ad l. I. c.2. expositum est. Istorum inprimis Slavorum, qui in Mechlenburgico & Wagrico agro, in Marchionatu item Brandenburgensi hactenus confederant, quiq; Helmoldi aetate partim pia opera Episcoporum & monachorum ad fidem conversi, partim, qui Christiana sacra pertinacissimè adspernabantur, ex locis his Henrici Leonis, & Alberti Ursi armis ejecti sunt, historiam Helmoldus scribendam sibi sumpsit. Quam quidem ad rem, ut in Proœmio testatur, Geroldum, ultimum Ecclesiae Aldenburgensis in Wagria, eundemq; primum Ecclesiae Lubecensis Episcopum, monitorem atq; auctorem habuit. Hujus ut comes itinerum, & fidelis συνεργὸς in Wagriorum gente convertenda extitit: sic ejusdem pios labores & pericula, ab agresti & infideli gente religiosissimo viro intentata, diligenter retulit. Diligentissimi Scriptoris historia veleo nomine nobis Lubecensibus, & omnibus antiquitatis amantibus gratissima esse debet, quòd ille primus fuit, qui de LUBECA urbe, rebusq; Lucensibus aliquid in literarum monumentare ferre aggressus est. Ut taceam nunc, neminem ante illum de Slavis, tam nostrorum locorum quondam incolis, quàm caeteris, qui per reliquas Romani Imperii provincias dispersi fuerunt, explicasse vel exquisitiùs vel luculentiùs, vel etiam religionis Christianae in his locis initia tradidisse clariùs.

Cùm Helmoldus anno clɔ CLXX. in fata concessisset, Arnoldus Chronicon ejus continuandum atq; perficiendum suscepit. Is Abbatis munere ad D. Johann. in ipsa Lubeca functus est; de cujus coenobij fundatione lib. II. Arnoldi cap. 19. Ordinis Benedictini monachum fuisse, è lib. IV. cap. 13. videri possit. Meminit illius Paulus Langius Chronico Ci-